DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

IRITIDE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

IRITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE *FACULTATIS MEDICAE* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS WIDDUP,

Anglo-Britannus,

CHIRURGUS.

———" *Si quid novisti rectius istis,*
" *Candidus imperti; si non, his utere mecum.*"
HORAT. Epist. vi.

Ad Cal. Aug. horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXVII.

SPECTATISSIMO,

ET

A ME SEMPER COLENDO,

THOMAE THOMPSON,

DE

HULL ET COTTINGHAM,

ARMIGERO,

SENATUS BRITANNICI IMPERIALIS

SODALI,

VIRO

PIETATE, JUSTITIA, BENEVOLENTIA, ALIISQUE

VIRTUTIBUS, TAM PUBLICIS QUAM PRIVATIS,

QUAE GENUS HUMANUM EXORNANT,

INSIGNI,

PUERITIAE ET JUVENTUTIS MEAE

FAUTORI BENEVOLO;

HOC OPUSCULUM,

(TALI PATRONO HEU! QUAM INDIGNUM,)

ANIMI BENEFICIORUM MEMORIS

SIGNUM EXILE,

OBSERVANTISSIME CONSECRO

JOSEPHUS WIDDUP.

NECNON,

VIRO EXIMIO,

ET

AMICO MEO DILECTISSIMO,

REUBEN CRAVEN,

ARMIGERO,

IN OPPIDO DE *HULL* ARTEM CHIRURGICAM

FELICISSIME ET BENEVOLE FACIENTI;

CUI

DEBEO PRIMAS IN RE MEDICA DISCIPLINAS;

OB

BONITATEM EJUS, CURAMQUE VIX

MINUS QUAM PATERNAM, ERGA ME

DUM ADHUC PUERUM;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

ANIMO GRATISSIMO

ET

OBSERVANTIAE PLENO,

DEDICARE

VOLUI.

QUOQUE,

VIRO BENEVOLO,

ET

MIHI AMICISSIMO,

JOANNI INMAN,

ARMIGERO,

IN OPPIDO DE *MARKET WEIGHTON*

CHIRURGO LAUDATO,

OB BENIGNITATEM EJUS ET BENEFICIA MULTA,

NUNQUAM OBLIVISCENDA,

IN ME, SUA SPONTE, COLLATA;

HOC TENTAMEN,

AMICITIAE PURAE TESTIMONIUM

PIGNUSQUE PEREXIGUUM,

LUBENTISSIME

OFFERO.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

IRITIDE.

Auctore JOSEPHO WIDDUP.

PROOEMIUM.

INTER varia organa, ex quibus constat corpus humanum, arte tam mirificâ fabricatum, nullum est in cujus fabricâ, usibusque, Artificis Divini peritia et beneficentia, quàm in iis oculi, luculentiùs patent.

Homo, hoc organo pulcherrimo instructus, rebus externis se arctiùs annecti sentit, et ab his quasdam praecipuas vitae voluptates adipiscitur. Visûs auxilio latum mare permeat, re-

giones terrae maximè longinquas investigat, imò, etiam coeli arcana aliquatenus scrutatur. Sic, quidem, rerum pulchritudinem, varietatem, ordinem mirandum percipere potest, sic quoque, ut verba celeberrimi nostri poëtae consequar, *Ex indagatione Naturae, Deum Naturae respicere discit.*

Multis morbis oculus obnoxius est, quorum nullus forsitan levis momenti meritò haberi potest; sed morbus de quo nunc in animo est disserere, locum inter graviores sibi jure vindicat; nam, ut Dom. SAUNDERS bene notavit, vix ullus est oculi morbidus affectus qui citiùs aut certiùs ad visûs facultatem extinguendam valeat.

Nullam, igitur, artis salutiferae partem quàm quae ad talem exitum infelicem praecavendum spectat, magis gnavitèr excolere nostrum est. Namque oculis capti semper vitam subsecivam molestiâ ac moerore terere coguntur. Adest plorabile exemplum Poëtae nostri illustrissimi, qui versiculis corda hominum moturis, sic luctum animi spiravit:

——" Thus

——" Thus, with the year
Seasons return, but not to me returns
Day, or the sweet approach of ev'n or morn,
Or sight of vernal bloom, or summer's rose,
Or flocks or herds, or human face divine;
But cloud instead, and ever during dark
Surrounds me, from the cheerful ways of men
Cut off, and for the book of knowledge fair
Presented with an universal blank
Of nature's works, to me expung'd and ras'd,
And wisdom at one entrance quite shut out.

Mihi, igitur, haudquaquàm praecox scribendi desiderium foventi, sed legibus hujus Almae Academiae, ut decet, obtemperanti, Iritidem sive inflammationem oculi internam, argumentum haud ineptum fore, videtur, de quo fas sit pauca conferre. Sed vix, et ne vix quidem, mihi persuadeo, ut de hoc morbo aliquid novi proferre poterim: re verâ nihil ampliùs efficere spero, quàm ejus historiam, experientiâ tam alienâ quàm meâ excultam, accuratiùs tradere, et curationem idoneam exponere. Deincèps, Judicum clementiâ, magis quàm hujus opusculi pretio innitens, illis, tentamen, qualecunque sit, subjicere volo.

MORBI HISTORIA.

Ineunte morbo, sensus oculi molestiae, quasi constrictionis simul cum calore urente, et multum incommodi lucem admissam sequentis, urgent. Morbo progrediente, vis symptomatum horum valdè et plerumque raptìm ingravescit. Dolores acerrimi et lancinantes, per orbitam ad cerebrum usque, micantes, in imo oculo superveniunt: hi lucis vel minimae accessu magnoperè augentur: de capitis quoque dolore circa tempora ac supercilia continuè et vehementer urgente, semper conquestum est. Si oculus nunc subitò volutus, aut levissimè digito compressus fuerit, aegrotus miserrimè vexatur. Scintillas ante oculos volitantes et fulgurationem conspicit; ac simul ferè semper adest fluxus lachrymarum perpetuus et copiosus.

Tunica conjunctiva haud multùm afficitur, neque symptomata graviora jam recensita, adeò levi hujus membranae inflammationi tribuenda sunt. Hinc malum praecipuè partibus internis inhaerere suspicamur, et oculo accuratè intro-

specto, haec observantur signa,—scilicet, congeries vasorum exilium, rubrum sanguinem vehentium, et a frequenti *anastomosi*, quasi areolam circa corneae marginem efficiens; areola ista non in tunicam conjunctivam sed in scleroticam sita est; namque hanc membranam vasis rubris insolitis tunc praeditam videmus; conjunctivâ interim parùm mutatâ; porrò, vasa ex quibus areola constat, non super corneam repunt, ut in ophthalmiâ communi fieri solet, sed protinùs intrant, et in iridis inflammatae substantiâ, ubi scleroticae adjungitur, sese illicò mergunt. Pupilla maximè contracta, et plùs minùsve irregularis est: necnon iris quodammodò tumida et rugosa evadit; hinc a corneâ minùs distat, ejusque margo interior lentem erga crystallinam vertitur. Iridis mobilitas in omni exemplo minuitur, et cùm malum gravius est, prorsùs amittitur, pupillâ nimirum in eodem statu contracto manente, sive leniori luci sive vividiori oculus objiciatur. Ejus color quoque non naturalis reperitur. Oportet hanc coloris mutätionem diversam in diversis esse, pro colore naturali iridis; ex his varietatibus, rationem certam mutationis peculiaris, quae singulis casibus acci-

dere possit, reddere difficile sit; hîc autem mihi eximium scriptorem de hâc re citare liceat: "Consuetus ejus color eo modo immutatur, ut "in coeruleis et glaucis oculis viridi similior, in "badiis et nigricantibus verò rubens conspicia-"tur. Quae coloris in Iritide immutatio primo "in margine iridis interiore, seu toto seu in parte "ipsius tantùm initium capit, deinde sub mali "incremento ulteriùs extensa per totam tandem "iridis superficiem extenditur *."

Facultatem visûs plurimùm laesam, vix dicere opus est.

Pyrexia ferè semper gravis, praecipuè in corporis habitu nimis sentiente et mobili. Pulsus frequens, plenus, validus fit; cutis calida et sicca; aeger nauseam, sitim, appetitum cibi nullum, vigiliamque ferè perpetuam conqueritur; arteriae temporales haud rarò fortiter micant, et tinnitus aurium, vertigo, delirium ferox, ex quo inflammatio cerebri metuenda sit, consequuntur. Alvus ferè semper est adstricta.

---

* Vide T. W. G. Benedict, "De Oculorum Morbis," p. 109, § 207.

Si morbus ex auxilii defectu nunc progredi permittatur, vel remedia haud ad eum coërcendum valeant, in stadium secundum, utì quibusdam scriptoribus placuit, desinit, in quo fiunt effusiones in oculi cameras, quales non tantùm visûs organo, sed etiam interdum ipsi vitae exitium minitantur*. Si quando inflammatio diutiùs traxerit, gravesque oculi dolores, et alia symptomata molesta, sese quodammodò remiserint, certiores fiamus hoc stadium accessurum. Oculo tunc temporis attentè inspecto, observandus aliquando sit tumor, ex incipiente abscessu pendens, in quâdam iridis parte, saepiùs quidem prope marginem interiorem. Hic brevi erumpit, et pus quod continet in utramvis cameram effunditur. Sed si eruperit in cameram posteriorem an secus, materia effusa ferè semper in

* Vide annotationem quam a "Memoires de l'Academie," Prof. SCARPA excerpsit, apud paginam 308, libri sui "Practical Observations on Diseases of the Eye" dicti, et anglicè redditi, interprete BRIGGS. Ibi enarrantur adolescentularum duarum exempla, quarum una, vehementiâ symptomatum ab oculorum suppuratione et distensione orientium fuit interempta. Alterius vita, a ruptione oculorum spontaneâ, tempestivè servata fuit.

inferiorem camerae anterioris partem incidit. In aliis exemplis, quibus nulla abscessûs contigerunt signa, materia puri subsimilis in eodem situ reperitur.

Disputatum est utrùm haec reverà purulenta fuerit, et celeberrimus SCARPA, Hypopyon semper a lymphae coagulabilis transudatione formari, ut ostenderet, multum laboris impendit *. Auctor, contrà, quem alibi citavi, materiam purulentam esse, et vel ab iridis inflammatae superficie secretam, vel ex abscessu, ut suprà dictum, effusam fuisse arbitratur. "Modò," inquit BENEDICTUS, "materia purulenta ex inflam-"mata iridis superficie secreta in cameris oculi "apparet, et ibi Hypopyon producit, modò ab-"scessus in ipsâ apparet iride, ibique vel ruptus, "pus effundit, vel denuò resorptus evanescit †." Me de rebus hujusmodi arenam inire sine dubio minimè decet; sed fas sit fortassè observare, hanc materiam, quoad speciem, et effectus, mihi ad-

---

* Vide "Practical Observations on Diseases of the Eye," p. 293.

† T. W. G. BENEDICT, "De Oculorum Morbis," p. 109. §. 208.

modum ab lymphae exsudatione, (quae interdum fit,) diversam, videri; ... hoc ab eodem scriptore clarè notatum est. "Modò," ait, "loco "materiei purulentae plastica lympha secernitur, "atque iridis cum capsulâ lentis concretionem, "aut ipsam adeò iridis *atresiam* producit *." Effunditur primùm exigua materiae quantitas; haec verò paulatim augescit, donec totam pupillam obtegit, et cameras binas nonnunquam penitùs implet. Hoc modo, quidem, tantùm forsitan accumulabit, ut orbis oculi, corneae praesertim, distentionem insignem efficiat, ex quo fit ut dolores, qui sub hujus stadii initio quodammodò declinârant, aliaeque molestiae, vi eâdem vel etiam majore reviviscunt. Cornea hâc distentione magis magisque tenuis ac debilis fit, tandem rumpitur, et ita ut non sola materia, sed ipsi oculi humores elabuntur. SCARPA causam hujus membranae ruptionis haudquaquàm (ut nonnulli putârunt,) materiae acrimoniae tribuit, sed potiùs pressurae in corneam ingenti, ex quâ, actione vasorum resorbentium praeter solitum auctâ, membrana exulceratur. Si lamina corneae ex-

* Ibidem.

terior in ulcus abierit, tristis exitus, jam recensitus, faciliùs accidet; quippe quia in tali casu ad pressuram intùs obstandam minùs valuerit.

Vestigia hujus morbi sub formâ ejus pessimâ indagare, quantùm mihi fuerit facultas, conatus sum. Alia verò sunt exempla, in quibus, inflammatione minùs urgente, consiliisque medendi optimis tempestivè institutis, effectus minimè tam exitiosi supervenerunt; quamdiu enim urgeat inflammatio, tamdiu materia in cameras effundi non intermittit, et contrà, igitur, simul ac illa subacta fuerit, haec desinit accumulare; necnon resorbebitur quae jam effusa est, et visus, si hâc solâ causâ impeditus fuerit, denuò redintegratur.

Restat ut aliam et multò frequentiorem morbi formam, de quâ jam lectorem breviter monui, recenserem. Tali in exemplo nuper dixi effusionem ei anteà memoratae absimilem mihi visam esse, et ex lymphae coagulabilis exsudatione solùm constare. Ex analogiâ concludere fas est, hujusmodi effusionem a minore inflammationis gradu quàm qui ad pus producendum sufficeret, oriri; vel, ut ita dicam, inflammationem in stadium adhaesivum, ut vocatur, desinere

reputemus. Quamvis autem non adsunt huic exemplo saevi dolores caeteraque signa vehementia quae ortum a magnâ oculi distentione trahunt, vix tamen minus periculi oculo, ab aliâ ratione, imminet; ab adhaesione, scilicet, inter iridem et partes vicinas, quâ mobilitas solita iridi desit, etiam post inflammationem subactam; ... a lente crystallinâ, opacâ plùs minùsve factâ; ... neque nunquam etiam a perfectâ pupillae interclusione.

Haec lymphae exsudatio a superficie iridis anteriore vel posteriore fieri potest; saepiùs autem ex posteriore, fieri videtur. Lympha sic effusa ab iride ad lentis capsulam scatens, has inter se partes strictè internectit; deinde paulatim accumulans, partem lentis anteriorem, vel spatium ex adverso pupillae, obtegit, et quasi cataractam efficit; et ideò aditum lucis radiis prorsùs denegat. Pupilla valdè contracta, ut anteà dictum est, nunc magis magisque irregularis fit, et formam oblongam vel angularem, vice circularis, induit. Aliquando fasciculi hujus plasticae materiae ab altero ad alterum marginis interioris iridis latus transeunt, et, vasis per fasciculos hos serpentibus, pupilla omninò occluditur. Cùm

effusa est lympha ex superficie iridis anteriore, haec et cornea inter se haud rarò concrescunt.

DE FORMA SYPHILITICA.

Ab historiis exemplorum plurium, ex scriptis Domini SAUNDERS excerptorum, et a Doctore FARRE in lucem prolatis, liquet, affectionem iridis, quibusdam Iritidis simplicis signis comitatam, a viro syphilitico aliquando oriri, unde *Iritis syphilitica* vocatur. Quamvis de hâc, si subtiliùs agerem, ferè omnia quae jam de aliâ morbi formâ protuli, propter similitudinem inter eas, iteranda essent, haud levis momenti est, tamen, ut aliam ab aliâ, quantùm liceat, dignoscere possimus; quippe in Iritide syphiliticâ ratione medendi aliquatenùs diversâ opus est, et insuper, ut nonnulli putârunt, morbi progressus celerior est, et ad visum extinguendum validior. Cùm autem nihil certum de hâc re ex propriâ experientiâ proferre queam, hîc libet eximias clari illius auctoris opiniones citare. "The diagnosis," inquit SAUNDERS, "between syphi-"litic and simple inflammation of the iris may "be formed from the following appearances:

"—In the syphilitic, the iris is much more "thickened and puckered, the texture appears "more changed, the irritation on exposure to "light is less, the pain is most intense at night, "red vessels are seen in the substance of the "iris,—a circumstance not often observed in "the early stage of simple inflammation of the "iris, in which patients, from the severity of "the pain, are sooner induced to apply for re-"lief;—the pupil is not so much contracted as "in the simple inflammation, and although the "general appearance of disease be greater, the "the pain is actually less; the blindness is often "total—to which, perhaps, may be added, that "the lymph is deposited, as it were, in drops, "and assumes a tubercular appearance*."

CAUSAE.

In historiâ Iritidis narrandâ, eam quasi per se et sine ullâ aliarum oculi membranarum affectione existentem descripsi; rarissimè autem

---

* Vide "A Treatise on some practical points relating to Diseases of the Eye," p. 64.

contigit, ut quaevis oculi pars, sive interna sive externa, multùm inflammatione laborârit, quin aliae hujus tenerrimi organi partes morbum plùs minùsve simul participent. Hinc CULLENUS, et plerique, ut credo, de nosologiâ scriptores, omnes ophthalmiae membranarum varietates, eundem morbum, in situ graduve tantùm diversas, esse existimati sunt. Inflammationem in tunicâ conjunctivâ modò oriri, indeque ad partes oculi interiores extendere, modò in his partibus incipere et antrorsùm progredi, haud dubitandum est; pari quoque ratione, inflammatio quae iridem solam primùm adoritur, ad caeteras organi partes extendere potest. In utroque autem casu, sive iris sola, sive unà cum aliis membranis, morbo afficiatur, quaedam phaenomena jam recensita, ei propria adsunt; unde, ut posthac exponere conabor, haec phaenomena non solùm remedia antiphlogistica validissima postulant, sed alium quoque medendi consilium, sine quo, visûs jactura vix erit evitanda. Sed satis in aprico est, hoc medendi consilium, in his exemplis ubi iris morbi expers sit, minimè necessarium fore.

Hinc, igitur, sperare fas est, ut vix mihi vitio vertatur, me ad iridis affectionem solam animum

praecipuè attendisse. Plerique scriptores hoc vitium, ut opinor, multò leviùs quàm pro ejus momento decet, tetigerunt; et etiamsi nihil ad scientiam medicam promovendam, nisi eximiam ejus dissertationem de hâc re *, reliquisset Dominus SAUNDERS, ille veruntamen de posteritate, ut mihi saltem videtur, nunquam non benè eo meritus fuisset, quòd nobis praecepta perutilia dedit, quibus ad unam inter affectiones oculi pessimas levandam valeamus.

Quod, tamen, ad Iritidis causas attinet, vix fieri potest ut hae ab iis quae ophthalmiam communem faciant, distinguendae sint; quicquid enim hanc excitet, ad illam producendam valeat, et vice versâ. Verisimile est hanc fuisse sententiam Domini SAUNDERS, si ab ejus silentio eam conjicere fas sit, quippe quia nihil de morbi causis disputavit. Observationes BENEDICTI, quoque, opinioni quam protuli convenire videntur. "Causae verò datâ occasione ortae (oc-"casionales) reperiuntur eae, quae singulari "modo, partes hasce oculi internas adsciscendo

* Vide "London Medical and Physical Journal," July 1806.

"talem accelerant ipsarum reactionem, quae "cum inflammatione conjuncta apparet. In "quarum numero reperiuntur et eae causae, "quae imprimis hasce adficiunt partes, utì ope-"rationes chirurgicae in oculo, extractio prae-"sertim cataractae minùs feliciter peracta, vel "luminis nimia in oculum effusio, vel inflamma-"tiones oculi externae, et initio minore cum "periculo conjunctae, quae verò minùs rectè "tractatae etiam ad interiores oculi partes "transire solent, ibique Iritidem adjungunt ante-"cedenti *."

Operationem ad cataractam extrahendam, Iritidis causam esse, experientia quotidiana planè docet; et hîc observatu haud ineptum est, me eam a frusto lentis, operatione anteriore (ut vocatur) intercisae, manente diù, et in iridis marginem premente, inductam vidisse. Postremò, unde morbus aliquando originem duxerit, nequidem conjicere potui. Nonne huic malo alii aliis multò procliviores existunt?

Hoc loco vix necesse videtur, ut virum syphiliticum pro causâ iterum respicerem.

* T. W. G. Benedict, "De Oculorum Morbis," p. 107. § 205.

DIAGNOSIS.

Morbi ineuntis symptomata, (quùm iris inflammatione primariâ laborat); ferè tam conspicua et sibi propria sunt, ut diligentia etiam minima, ad eum ab omni alio oculi malo distinguendum, sufficiat. Horum praecipua sunt, dolores vehementes in imo oculo; pupilla mirum in modum contracta, et immobilis; iris tumida et rugosa; color ejus mutatus; lucis intolerantia quàm maxima, et postremò, vasorum plexus circa juncturam scleroticae et corneae zonam faciens, dum tunica conjunctiva haud multùm a solito statu abest.

Quando autem Iritis veluti sequela imflammationis externarum oculi partium emicuerit, difficilior fiet diagnosis; praecipuè cùm inflammatio antecedens gravis fuerit, et vasa corneae plurimùm aucta. De diagnosi speciei syphiliticae jam in aliâ dissertationis parte dictum est.

PROGNOSIS.

Morbus de quo agitur, utcunque acciderit, semper periculosus habendus est. "Gravius est "malum," inquit Benedictus, "et admodùm "periculosum. Etenim non solùm prae omni "alia ophthalmiarum specie exitu minùs fausto "aegrotum visu destituit, sed ipsius etiam medici "saepiùs eo modo eludere solet diligentiam, ut "morbi ratio interdum vel ab exercitatissimo "quoque non sananda deprehendatur *." Ex morbi, igitur, ad exitum infaustum proclivitate, cautam prognosin reddere oportebit. Respicienda sunt duratio morbi, signorum violentia, aetas aegroti, vitaeque genus et habitus corporis. Si medicus arcessitur dum adsit primum morbi stadium et antequàm effusio evenerit, ac si nulla signa acerrimè urgent, si aeger juvenis, et alioquìn benè se habet, exitum plerumque faustum modò remedia idonea absque morâ adhibita sint,

* T. W. G. Benedict, "De Oculorum Morbis," p. 107. § 204.

expectare liceat. Contrà verò, si dolores oculi, frontis et temporum graviores sint, et irritatio a lucis radiis immodica, simul cum pulsu valido, frequenti et duro, pyrexiâ magnâ, vigiliâ, tinnitu aurium et delirio, ingens periculum imminet; quia haec signa non solùm effusiones jam dictas et interclusionem pupillae plerumque minitantur, sed etiam vitae ipsius interitum. Porrò, si haec indicia graviora hominem priore quodam morbo effoetum, vel scrophulâ laborantem, vel praecipuè viro syphilitico contaminatum, aggrediantur, periculum valdè augebitur. Postremò, si effusio jam acciderit ita ut multùm distendet oculum, in plerisque exemplis conatus omnes ad morbi progressum sistendum parùm valebunt, et visûs privatio ex malis metuendis fortassè minimum erit.

SYMPTOMATUM RATIO.

Antequam signa hunc morbum praecipuè denotantia (pupillae scilicet contractionem et immobilitatem) explicare pergam, nonnihil dicendum videtur de iridis in statu integro struc-

turâ et functionibus, proüt de his sententiae valdè absimiles adhuc apud Physiologos foventur.

Doctor MONRO Secundus hujus organi structuram cum maximâ curâ indagavit; et ille aliique Anatomici haud parvi nominis *, iridem ordine fibrarum musculosarum duplice instructam esse scripserunt; ordine nempè circulari, partem iridis interiorem occupante, annulumque circa pupillam formante; et ordine alio, pupillâ edito, et veluti a centro ad peripheriam iridis, instar radiorum, vergente.—Actio ordinum fibrarum amborum ultra voluntatem animi est, et, apud Physiologos plerosque, *consensui* cuidam speciali iridem inter et retinam, ex toto tribuitur. Hinc, quùm imago justo fortior supra retinam ceciderit, fibris circularibus in actionem *consensu* excitatis, pupilla arcta fit, et prohibet ne nimii lucis radii in visûs sedem delicatissimam incidant; e contrario, quùm, propter tenebras, imago manifesta supra retinam vix, et ne vix quidem, depingatur, fibrae radiatae (sphinctere laxato) sese

* WINSLOW, RUYSCH, &c.

contrahunt, quâ actione pupilla ampliatur, et sic, luci portâ majore datâ, imaginem rerum clariorem animus prehendit.

Nonnulli tamen Physiologi actionem horum musculorum minimè retinae consentienti, sed magis *stimulo directo* lucis radiorum in iridem *ipsam*, omninò tribuendam esse putant. Haec opinio observatione aliquorum Amauroseos exemplorum praecipuè inniti videtur, in quibus pupillae mobilitas nequaquàm laesa fuit, etiamsi retina tunc adeò hebes esset ut aeger inter noctem dieique lucem minimè dignoscere potuerit *. Hinc necesse est (aiunt Physiologi), iridis functiones ex conditione nervorum sui ipsius, solummodò pendere.

Denuò, alii penitùs negant iridem ullâ vi musculosâ praeditam esse: Richerand, exempli gratiâ, sequentia scripsit; " Pour expliquer les " mouvemens de l'iris, il n'est pas besoin d'ad- " mettre que des fibres musculaires entrent " dans sa structure; il suffit de reconnoitre sa

---

* Dom. Sam. Cooper ejusmodi exempla nonnulla se vidisse testatur.

"texture vasculaire, spongieuse et nerveuse; "l'irritation de la rétine, sympathetiquement "transmise à l'iris, determine un afflux plus "abondant d'humeurs; son tissu se dilate et "s'etend, la circonference de la pupille est "poussée vers l'axe de cette ouverture, que se "trouve rétrécie par cette expansion vitale du "tissu membraneux. Lorsque la cause irritante "cesse d'agir, que nous passons du jour à l'obs- "curité, les humeurs refluent dans les vaisseaux "voisins, la membrane de l'iris revient sur elle- "meme, et la pupille s'agrandit d'autant plus "que l'obscurité est plus profonde*." Haec nihil aliud est nisi eadem ratio, quodammodò variata, olim ab HALLERO prolata, qui contractionem pupillae a fluxu humorum in vasa iridis aucto fieri, quoque censuit, sed hunc influxum luci *ipsam iridem* excitanti, tribuit. Celeberrimus nuper in hac almâ Academiâ Professor de his rebus fusiùs disseruit†, consilio probandi

* "Nouveaux Elemens de Physiologie," tome ii. p. 24.

† Vide "WHYTT's Essay on the Vital and other Involuntary Motions of Animals," edit. 2. p. 140. et etiam "Physiological Essays," ab eodem Auctore, edit. 2. p. 144.

opiniones HALLERI et quorundam aliorum nullo certo fundamento inniti; ejusque ratiocinatio, observationes RICHERANDI paritèr refellere, mihi videtur. An radii lucis iridem *directè*, an *secùs*, afficiant, opinionem edere haud paratus sum. Sed de ejus vi musculosâ, analogia sola, me saltem certiorem fecit: et in hac fide magis confirmatus sum, quùm recordor effectus Belladonnae benè cognitos (de quibus pleniùs posthac dicendum erit) in morbidâ pupillae contractione laxandâ, et summovendâ. Quomodo hos effectus explicare poterimus, si fibrae musculosae iridi abessent?

Cum Domino SAUNDERS, igitur, credere fas est, statum pupillae contractum et fixum ab actione iridis naturali esse longè absimilem; et hunc statum ab inflammatione *specialem* fibrarum circularium *irritationem* ciente, omninò oriri: propter hanc irritationem, fibrae circulares pertinacitèr constrictae manent, etiamsi, quò minùs stimulus lucis oculum vexet, diligentissimè caveatur.

Color iridis mutatus ad vasa parva praeter solitum sanguine impleta; dolores et scintillarum perceptio ad *sensibilitatem* retinae, aliorum-

que oculi nervorum auctam sunt tribuenda; tinnitus aurium et delirium fiunt ex impetu sanguinis caput versus majore.—Unde oritur ea privatio visûs magna, quae etiam in primo hujus morbi, praesertim speciei syphiliticae, stadio accidit? In specie morbi simplice fiat fortassè a vasorum retinae et nervi optici distentione; in syphiliticâ, autem, ubi multò minùs urgent dolor et irritatio, nonne cuidam actioni, viri istius propriae, tribuenda sit?

METHODUS MEDENDI.

In hoc morbo sanando, indicationes praecipuae sunt.

1. Ab effusione praecavere;
2. Pupillae contractioni obstare; et
3. Si quando, praeter conatus etiam optimos, acciderit effusio, materiam effusam, quoad poterimus, summovere.

Nunc igitur, de auxiliis ad haec consilia accommodatis, perpauca dicere propositum est.

Quùm morbo locali jungantur pyrexia gravis, vehemens dolor capitis, tinnitus aurium, ingen-

tes arteriarum in temporibus pulsus, necnon pervigilium constans, nemo dubitabit quin molem sanguinis generalem gnavitèr minuere necesse sit. Profectò sanguinis detractionem in casibus etiam mitissimis pernecessariam, neque ejus jacturae topicae solummodò fidendum esse, experientia planè docuit.

In omnibus oculi morbis, ubi adest inflammatio, sectio arteriae temporalis multùm usurpata, et remedium valdè efficax reputata fuit; cùm autem summi momenti est in Iritide, ut magna sanguinis copia e corpore detrahatur, ad actionem cordis et arteriarum minuendam, et plerumque haud facile sit copiam idoneam ex illâ arteriâ, (ut egomet saepè vidi,) obtinere, ad venaesectionem more solito confugere mallem. Quod ad quantitatem spectat, aetas aegroti, corporis habitus, et morbi violentia, respicienda sunt. In adulto homine, modò nihil adsit quod rem prohibeat, ab sexdecim usque ad uncias triginta extrahere, iterùm atque iterùm si res postulent, fas erit. Postquàm venae ritè depletae fuerint, praecipuè si aeger propter debilitatem, evacuationes generales vix ulteriùs perferre possit, medici erit hirudines vel cucurbitulas

cruentas prope oculum admovere. Dominus Saunders monet hirudines subinde applicandas, ita ut stillicidium quasi perpetuum e vasis vicinis efficiatur.

Vix operae pretium est, ut multa dicerem de necessitate alvi statum semper probè respiciendi, quia satis convenit obstipationem irritationis generalis esse causam, et morbi signa omnia multùm acerbiora reddere; imò, haud desunt exempla oculi inflammationis hâc causâ solâ ortae.

Alvus, igitur, quibusdam salibus mediis, vel etiam purgantibus acrioribus, quamprimùm ducenda est, et multùm proderit sanguinem a capite derivare, ac inflammationem pacare, dejectiones duas vel tres quotidiè ciendo.

Sanguinis missione alvique evacuatione jam peractis, vesicatorium nuchae imponere decet: hoc duplice ratione prodesse videtur, fluida scilicèt minuendo, et simul irritationem in partibus sanis excitando, unde fit ut actionis morbidae in oculo progressus nonnihil sistatur.

Quoniàm halitus cutis liberior sanguinis impetum temperet, et corporis calorem imminuat, auxilium medicaminum diaphoreticorum et po-

tuum blandorum est minimè negligendum. Foveatur simùl oculus calidis Papaveris Somniferi capitum, et Hyoscyami Nigri foliorum, decoctis, et admoveantur cataplasmata, ex iisdem vel aliis rebus in usu quotidiano, conflata.

In exemplis Ophthalmiae gravibus, ubi adest magna oculi distentio, Dominus Wardrop monuit humorem aquosum per corneae puncturam evacuare: ab hâc operatione levamen subitum semper notavi.

Porrò, vitanda sunt omnia et cibi et potûs stimulantia. Aeger in cubiculo cui nulla adest lux, quiescere debet, recumbente corpore, capite verò levato.

Nunc ventum est ad secundum curationis consilium; loquamur igitur de auxiliis quae ad pupillae contractionem obstandam valeant.

Si reputamus quanta in hoc morbo sit proclivitas ad lymphae effusionem, ideòque inter iridem et lentis crystallinae capsulam adhaesionem, satis perspicua erit ratio, cur tali contractioni obsistere conaremur. Hoc consilio usurpata sunt Atropa Belladonna aut Hyoscyamus Niger. Illius applicatio multùm a Domino Saunders lau-

data est, qui eam tantùm postquàm accidisset effusio, adhibuisse videtur; sed an horum uno vel altero utamur, id, ut opinor, ab ipso initio morbi admovere debemus. Utriusque remedii idem est modus operandi, et quod de Belladonnâ disseruit Dominus SAUNDERS, pari ratione de Hyoscyamo dicatur. Observationes sequentes, hujus scriptoris eximii, adeò citatu digna sunt, ut eas perlegere vix aliquem toedebit. "The "stimulus of the Belladonna destroys, for a "time, both the sympathetic and associated "motions of the iris. Under its influence, the "radiated fibres are permanently contracted, "and the iris does not change its state in obe-"dience to any impulse of light on the retina; "much less from association with the other iris. "It has, therefore, a specific influence in exci-"ting a strong contraction of the radiated fib-"res; and this influence is so great, that in the "utmost dilatation of the pupil, which has at-"tended the most perfect insensibility of the "retina, I have invariably caused a still greater "dilatation by the application of Belladonna."

Atque iterùm:

"Now this substance, if properly applied to "the eye during the adhesive process of inflam-"mation, will cause the inner margin of the "iris to expand and recede from the axis of the "pupil, and will thus overcome the restraint "arising from the agglutination of lymph, by "elongating the organised bands which connect "the iris and capsule, if they have not been of "long duration. Thus, the adhesions are drawn "out to a degree of tenuity, and consequently "transparency, and a considerable quantity of "light is admitted."

His observationibus notâ sequente finem imposuit. "In general the pupil is mis-shapen, and "the iris perfectly fixed, but if the aperture be "of sufficient size, and the capsule not render-"ed too opake, the patient will enjoy a very "useful degree of sight *."

Extractum Belladonnae aquâ dilutum, et usque ad spissitatem *cremoris* redactum, in oculum dolentem bis terve indiès stillari, vel tunicae conjunctivae (ope penicilli comati mollis)

* Vide "London Medical and Physical Journal," July 1806.

admoveri possit; vel etiam palpebrae atque supercilia extracto ipso fusè oblinantur.

Benedictus, tamen, Belladonnae Hyoscyamum praetulit, quippe qui, ut ille opinatur, paritèr prodest, neque tantum irritationis excitat; hujus remedii internum quoque usum magnoperè laudat, et dosin aegri conditioni, quoad irritabilitatem, accommodat. De usu ejus externo hortatur solutionem ut infra:

℞ Extracti Hyoscyami ʒſs Aquae Rosae ℥j; M. fiat Collyrium, oculo dolenti omni bihorio applicandum.

Necnon suadēt, ut admoveatur emplastrum cum extracto praeparatum, parti orbitae superiori et inferiori, id est, super cursum nervi supra-orbitalis aequè ac infra-orbitalis.

Ad tertiam indicationem peragendam, cùm materia copiosè effusa est, multùm inter se disputârunt auctores, annon ea per corneam incisam evacuanda sit. Hanc operationem Ill. Scarpa valdè periculosam existimat, et nos gravissimè dehortatur ne illam perficeremus nisi cùm nulla restet spes visum servandi, et nisi ea symptomata urgeant, quae vitae interitum mini-

tantur. Alii, e contrario, haud parvi nominis, operationem laudant;—et eam faustè peractam, ipse novi.

Inflammationis signis jam subactis, si resorptionem materiae effusae, absque operatione Chirurgicâ, promovere malimus, collyrio lenitèr stimulante uti, et pilulam ex Submuriatis Hydrargyri * granis fortassè duobus bis indiès exhibere, conveniet. Si multùm fractae sunt aegri vires, adhibeatur Cinchona vel similia, et simùl diaeta mitis ac nutriens.

Nil nunc restat, nisi de curatione Iritidis viro syphilitico ortae, perpauca proferre. In hâc specie, Hydrargyro usque ad ptyalismum lenem

---

* In stadio etiam inflammatorio, Doctor Farre, Medicus summae auctoritatis in rebus hujusmodi, nuperrimè monuit Hydrargyrum usque ad effectus ejus specificos ciendos, fidentèr dandum esse. Ex opinione communi, quâ hoc remedium inter stimulantia locatur, credere prompti erimus usum Hydrargyri potiùs signa inflammatoria aucturum quàm summoturum: tamen effectus optimos praestitisse dicitur.

Nihilominùs, praeter usum Hydrargyri, remedia valida antiphlogistica, jam enumerata, negligere minimè vellem.

opus est: hoc remedium diù et sedulò usurpatum, prae caeteris contra morbum pollere videtur. Sed probè memores simus, remedia ad inflammationem subigendam, et pupillae contractionem praecavendam, adeò necessaria fore in morbi formâ syphiliticâ ac in aliâ de quâ tam fusè disserui; et, denique, in omni casu ancipite, ambas medendi methodos instituere, profuturum.

FINIS.